

Dominus dixit, Joan. IV. *Qui bibit ex hac aqua, sitiet iterum.* « Quid enim est pecuniæ studium? (inquit Gregor. Nyssen. in orat. funebri de Placilla). Annon vere dolium perforatum toto fundo profluens, cui si vel totum mare affundas, ea natura est ut expleri non possit. » Sic ille. Idem de superbia, gula, libidine cæterisque vitiis dicendum. Deinde aquæ mundi impuræ sunt et permixtæ plurimis malis, curis, anxietatibus et periculis, de qua re admonuit populum suum Jeremias, cap. II. dicens: *Quid tibi vis in via Ægypti ut bibas aquam turbidam?* Accidit forte ut duo viatores simul iter agant æstivo tempore admodum calido. Incipiunt ambo æstuarere; unde alter impatiens moræ quoad hospitium vel fontem aliquem limpidum attingat, bibit e proxima palude fætida et lutosa; alter vero abstinet, et sitim tolerat usque dum ad tabernam veniat, vel saltem ad fontem clarum, ubi sitim magna cum voluptate explet, altero jam impleto. Sic mundi amatores moræ impatientes hic se proluunt aquis fœtentibus et lutosi; contra Christi sectatores abstinent ab his lacunis et differunt potum, usque dum perveniant ad cœlestem patriam et fontem aquarum viventium; ubi inebriantur ab ubertate domus Dei. Faciunt hoc onagri qui quantumcumque siti vexentur, non bibunt tamen ex aquis turbidis, sed expectant donec limpidam inveniant, seu potum sibi aptum, ut scribit Anglicus, l. XVIII. cap. LXXVI. Unde Psalm. CIII. de illis dicitur: *Expectabant onagri in siti sua.*

Quarto, docet hoc verbo Christus modum, quo ipsi, gratissimum facere obsequium, sitim ejus videlicet vehementissimam relevare, queamus; nimirum ei nos ipsos offeramus, per veram contritionem et amorem. Hac siti æstuebat Christus ab instanti conceptionis suæ usque ad mortem; et vero æstuat etiamnum, quia desiderat omnes salvos facere et in viscera misericordiæ suæ recondere. Sedit aliquando super puteum Dominus fatigatus et sitibundus, et hanc sitimsuam explicavit Samaritanæ dicens: *Mulier, da mihi bibere.* Sedit postea in cruce, et ad omnes homines locutus est: *Sitio,* expectans et circumspiciens, num quis ipsi potum exhibiturus sit. Et quid videtur nobis? Itane Christum Dei Filium ac Dominum nostrum sitire patiemur, et non potabimus? An forte non sufficit nobis perspectam habere ejus sitim? Sed præterea volumus, ut etiam nos roget? Non hoc expectemus, fratres, quia non pro bono suo, sed pro nostro sitit. Nobis ille desiderat præbere aquam salientem in vitam æternam, a nobis nihil querit. Quemadmodum igitur Rudolph. imperator Aus-

triacus contra Ottocarum Bohemiæ regem movens, cum gravi comæatus (potus præsertim) penuria laboraret et hydria quædam aquæ mesoribus ablata ei offerretur, visa illa: *Reddite ho mini vasculum,* inquit, *ego enim non mihi, sed exercitum sitiebam,* Æn. Syl. l. III. comment. in res gest. Alphonsi. Ita videtur mihi dicere Dominus; non enim sibi sed nobis sitit; videat igitur quid agat, qui Christo potum negat; videant qui egentibus panem negant; videant qui in confessione peccata sua tegunt; videant qui sine contritione ac proposito emendationis a confessario recedunt et ad mensam Christi veniunt. Hi omnes Christo quidem potum negant, sed animas interim suas siti perimunt. De his enim verificabitur aliquando id Os. II. quod ibi minatus est Dominus Jerosolymæ secundum Lyran. *Ponam eam quasi solitudinem, et statuam eam velut terram inviam, et interficiam eam siti.* Expertus id est epulo, qui quod micæ denegasset Lazaro, guttam postea non obtinuit. Quod ne experiamur nos, hauriamus de puteo cordis nostri aquas contritionis, de mensis nostris panes, de marsupiiis nostris nummos, et Christo offeramus, ut cum ipso æternum vivamus, et bibamus et edamus in cœlesti ejus mensa.

§ XXXVIII. — DE SEXTO CHRISTI VERBO

I. Consummatum opus redemptionis. — II. Consummatum baptisma Christi. — III. Consummatum matrimonium Christi cum Ecclesia. — IV. Consummatum est Testamentum vetus. — V. Consummatum est tempus pontificum et Scribarum. — VI. Consummatum imperium demonis. — VII. Consummatum sacrificium pro mundo oblatum. — VIII. Consummatum ædificium arce Noë. — IX. Consummatum convivium paratum invitatis. — X. Consummatum iter Christi: 1. Scriptura implenda in omnibus. 2. Omnia consummanda. 3. Bonis operibus ultima manus imponenda. 4. Perseverandum in bono.

THEMA.

Consummatum est. Joann. XIX.

Scribunt de præcipuo quondam pictore Nealee nomine Plinius, l. XXXV. c. X. et Valerius Maximus, l. VIII. c. XII. quod aliquando pinxerit equum ab exercitatione venientem, cæteroque modo non vivum, solas tamen spumas naribus adjicere cupiens, tantus artifex in tam parvula materia multum ac diu frustra laboravit. Quare indignatione accensus spongiam omnibus imbutam coloribus forte juxta se positam apprehendit, et eam, veluti corrupturus opus suum,

tabulæ illisit; quam fortuna ad ipsas equi nares directam, desiderium pictoris cepit explere. Simillimum quid evenit Christo crucifixo cujus humana natura apparuit S. Joanni, Apoc. XIX. sub specie equi albi, divina vero persona sub specie equitis super eum sedentis in veste aspersa sanguine, cujus nomen erat Verbum Dei, ut ait Joannes, et de Christo intelligunt omnes. Pinxerunt hunc equum humanitatis Christi variis tormentorum exercitationibus agitæ, miris sane coloribus Judæi, sanguine videlicet undique respersum, ut nihil amplius deesse videretur ad hujus equi efformationem. Deerat tamen aliquid quod ipse Christus significavit, cum ad Scripturæ et suæ passionis consummationem dixit: *Sitio.* Quare Judæi ex indignatione Christum deformatum spongiam aceto plenam ori ejus intrusere, sed insperato Judæis, Christo vero nobisque omnibus salutari eventu; nam inde Christi patientis imago pulcherrima resultavit, et passio tota consummata; ipsi Christo immensa gloria, nobis vero salus parta est; siquidem Christus mox subjunxit: *Consummatum est.* Consummatum, inquam, schema quod pingebatis, o Judæi; schema illius equi, in quo sedet Verbum Dei; consummatum est exemplar totius perfectionis, in quod desiderant non homines solum, sed et angeli prospicere. Porro nunc videndum quid mysterii et fructus, sub verbo isto lateat.

I. Duo sunt, quæ merito inquiri possunt circa verbum istud. Primum, quidnam illud sit, quod consummatum esse dixit Dominus; siquidem ne ipse nec evangelista id expressit. Alterum, cui dictum sit hoc verbum. Cætera enim verba ad certas personas locutus est Dominus, primum ad Patrem, secundum ad latronem, tertium ad matrem et discipulum, quartum ad Deum, quintum ad circumstantes et ministros, septimum rursus ad Patrem. Ad quem ergo locutus est verbum sextum? Respondeo mihi videri, quia nec opus consummatum, nec persona, ad quam fiat sermo expressa est, intellexisse Dominum omne id quicquid uspiam perfectum est, et locutum esse ad omnes, quotquot uspiam sunt rationis et sermonis capaces.

Primo ergo loquitur ad Patrem et ait: *Consummatum est opus redemptionis,* quod commisisti mihi et ego a te suscepi perficiendum. Hoc enim est, quod anticipando dixit Dominus post ultimam cenam, mox iturus ad passionem, (Joan. XVII.) ad Patrem: *Opus consummavi quod dedisti mihi ut faciam.* Atque ita adimplevit voluntatem Patris et Scripturas, in quibus ea consignata erat, omnes usque ad apicem. De hac commis-

sione locutus est in persona Christi regius Psalmista, Psal. XXXIX. *In capite libri scriptum est de me, ut facerem voluntatem tuam: Deus meus volui, et legem tuam in medio cordis mei,* hoc est, in summa totius sacri voluminis, et quidem principe loco scriptum est de me ut perficerem voluntatem tuam in consummando redemptionis opere, idque decretum tuum libentissime acceptavi, et in medio cordis mei posui, nihil magis desiderando semper. Unde Joan. IV. ait: *Meus cibus est ut faciam voluntatem ejus qui misit me ut perficiam opus ejus,* q. d. ita desidero, et ita delector perficere voluntatem Patris, sicut alii comedere. Quare ut ostenderet Patri se jam ad finem perduxisse opus sibi injunctum, et nihil prætermisisse de commissione sibi data, idcirco negotium id consummatum esse asserit, ut nos sciremus, et tam committenti quam commissario grati essemus. Quando aliquis scyphum sibi ab altero propinatum exhaustit, tunc evacuatum propinatori monstrat, quo nimirum ostendat se totum exhausisse eique respondisse. Ita postquam Dominus accepit acetum, quod solum restabat ante mortem faciendum, tunc quasi ostendit Patri calicem, quam acceperat ab eo, velut jam evacuatum; non ut Pater intelliceret quam exacte Filius obediret, sed ne nos ignoraremus.

II. Secundo alloquitur seipsum et dicit: *Consummatum est,* baptisma meum quo debui baptizari: sibi enim gaudet et gratulatur, quod ad optatum finem perduxerit opus nostræ salutis. Colligo id ex eo, quod ad hoc momentum usque semper angebatur ob desiderium nostræ redemptionis; siquidem, Luc. XII. dicebat: *Baptismo habeo baptizari et quomodo coarctor, usque dum perficiatur?* Græce, *quomodo contineor?* q. d. baptismo sanguinis habeo baptizari et quomodo desidero ut perficiatur? Quomodo non propero et ad mortem meam curro? *Spes quæ differtur, affligit animam, lignum vitæ desiderium veniens,* ait Sapiens, Proverb. XIII. Dilatio mortis occidebat quasi Christum; mors ipsa adveniens quasi vivificabat; crux ei lignum vitæ erat; adeo pro nobis mori desiderabat. Patet igitur nunc consummatum esse Christi desiderium, quando mortem jam præsentem cernebat quam prius sitiebat. Si dicamus juxta aliorum expositionem, coarctatum fuisse Christum ob horrorem mortis sibi subeundæ, tunc etiam merito dixit, consummatum esse baptisma suum. Cum enim Christus omnes nostras ægritudines spirituales in se susceperit, et ut Isaias, c. LIII. ait: *Languores nostros ipse tulit,* purgationem peccatorum in seipso facere debuit. Itaque juxta præscripti

medicorum primo, sudavit in Oliveto sanguineum sudorem: postea, venam non unam, sed plurimas aperuit, partim in prætorio, partim in cruce: denique, acetipotionem acerbam sumpsit: quid mirum ergo si post tot labores et molestias, quasi lætabundus dicat: *Consummatum est?* Gaudet enim magis propter nos, quam propter seipsum, quia *ejus livore sanati sumus*, ut inquit Isaias, ibid.

III. Tertio, alloquitur ss. angelos, et ait: *Consummatum est*, matrimonium inter me et Ecclesiam. Nunc scitote sponsam meam factam esse reginam et uxorem meam. Volo itaque ut in posterum eam honoretis, ejusque filios veluti fratres et concives vestros. Desponsavit sibi Ecclesiam a die conceptionis suæ, qui naturam assumpsit humanam. Sponsus ejus permansit usque dum in cruce pro ea moreretur; nam ante mortem suam Christus seipsum vocavit Ecclesiæ sponsum, Matth. IX. In cruce factus est ei *sponsus sanguinis*, uti Moyses Sephoræ, Exod. IV. et in morte sua maritus, ubi Ecclesiam totaliter redemptam sibi univit et conjunxit per sanctissimam amoris copulam, et omnia ad se traxit. Testatur id Augustinus, lib. II. de symb. ad catechum. c. VI. cum de hoc matrimonio ait: «Tunc sponsa nubit, quando sponsus moritur, et tunc sponsus sponsæ conjungitur, quando a mortalibus separatur, et quando ille super cælos exaltatur, tunc ista in terra fœcundatur.» Sic ille. Porro ut ait S. Bernardus: «Cum haberet sponsam sibi inhærentem a principio, multitudinem angelorum, placuit et de hominibus convocare Ecclesiam, atque unire illi, qui de cælo, ut sit una sponsa et sponsus unus.» Sic Bernar. Unde patet angelos jam esse nostros fratres et cohæredes. Hoc ergo insinuat illis Christus, isto verbo sexto. Et exinde angeli non sunt amplius passi adorari se ab hominibus, ut olim in veteri lege. Non enim prohibuerunt se adorari a Loth et Josue; prohibuit tamen angelus ille Apoc. XIX. qui Joanni volenti se adorare dixit: *Vide ne feceris; conservus tuus sum et fratrum tuorum*, uti docent Ambrosius et Gregorius.

IV. Quarto, loquitur ad patres veteris Testamenti, et ait: *Consummatum est* Testamentum vetus et adimpletum: completæ sunt umbræ et figuræ, sacrificia, cæremoniæ vestræ legis, nova facta sunt omnia, quia umbris et figuris successit ipsa res. Unde apostolus ad Rom. X. dixit finem legis esse Christum. Nunc innocens Abel a fratre occisus; nunc arca Noe contra diluvium fabricata et perfecta; nunc arcus cælestis positus est in nubibus in signum fœderis; nunc Isaac super lignum a patre immolatus; nunc Jo-

seph a fratribus venditus et cum sceleratis reputatus est; nunc immolatus agnus paschalis; nunc serpens æneus exaltatus; nunc vacca rufa extra civitatem cremata et immolata; nunc Samson amplexus crucis columnas, aereas potestates contrivit; nunc David Goliath prostravit vulnerum suorum lapidibus, et decollavit gladio crucis. Et reliqua omnia, quæ Christum præfigurabant. Denique consummatum est jugum ferreum veteris legis ut auferam id a cervicibus hominum, et imponam eis jugum suave juxta quod prædixi per Ezech. c. XXXIV. *Scient quia ego Dominus, cum contrivero catenas jugi eorum.*

V. Quinto, loquitur ad Judæos, pontifices et principes, Scribas et Phariseos: *Consummatum est*, tempus vestrum, quod tamdiu desiderastis. De quo Dominus ad eos in Oliveto dixerat: *Hæc est hora vestra et potestas tenebrarum*, Luc. XXII. Quando incipiebat hora illa volente Petro Christum defendere, dixit illi Dominus: *Sinite usque huc*, q. d. usque huc duravit hora mea qua nolui pati: nunc incipit hora Judæorum. qua volo pati et omnem eis in me concedere potestatem. Quia ergo nunc etiam Judæorum effluxit hora, et jamjam moriturus sum, consummatum est illorum tempus, quo hæcenus in me sævierunt, sed non poterunt sævire amplius; proinde scitote, o Judæi, eam vobis horam concessam esse a Patre meo, imo et a meipso; neque triumphetis, quasi vos viceritis, quia nisi concessissem, ne capillum mihi flectere potuissetis. Unde et nunc rursus vobis adimo datam potestatem, quia effluxit hora vestra: posui animam meam quando volui et resumam quando volo. Nunc iterum incipiet hora mea, qua videbitis me non esse victum, sed victorem.

VI. Sexto, loquitur ad Luciferum ejusque cohortem: *Consummatum est* imperium et tyrannis, quam hæcenus exercuisti in humanum genus. *Numeravit Deus regnum tuum et complevi illud*, ut quondam Balthazaris, Dan. V. *Consummatum est*, miser, inquit Isaias, c. XVI. *defecit qui concubabat terram*: sed quo jure? Quia consummatum est et pretium redemptionis, numerata est pecunia et summa tota impleta ad redimendos et tyrannide dæmonis homines requisita. Hæcenus diabolus tenuit in potestate sua ex Dei justa concessionem, universum genus hominum quasi sibi oppignoratum, quia vicerat primum hominem et sibi servum fecerat cum omni ejus progenie. Unde S. Paulus dæmones vocavit: *Principes et potestates mundi et rectores tenebrarum harum*, Eph. IX. Et Christus ipse diabolum *Principem mundi hujus*. Ipse vero diabolus durante sua tyrannide, intruserat se in divinos honores ut

passim coleretur sacrificiis ut Deus. Venit tandem legitimus mundi hæres, Dei Filius et principatum suum repetebat: sed nisi exhibita totius pretii summa recipere non poterat, utpote oppignoratum dæmoni. Hoc igitur pretium nunc in cruce numeravit et persolvit Christus, infinitam videlicet satisfactionem, sanguinem et vitam suam, atque idcirco dicit: *Consummatum est* imperium tuum, quia consummatum est pretium redemptionis mundi. Itaque *nunc judicium est mundi, nunc principes hujus mundi ejicitur foras*, Joann. XII. Reddita est obedientia Patri a Filio major quam fuerit inobedientia servi ad Dominum. Peccatum est in ligno, satisfactum est in ligno. Mortem merueramus, mortem persolvit Christus. Si mortem non meruimus, non commertit eam Christus. Quoniam igitur diabolus extendit manum in eum, qui servus ejus non erat, nec ulli peccato obnoxius: ideo meretur amittere imperium in eos, in quos juste obtinebat veluti in servos suos.

VII. Septimo, loquitur ad patres in limbo detentos et captivos omnes, qui quocumque modo sub dæmonis tyrannide tenebantur: *Consummatum est* sacrificium, quod pro vobis obtuli. Cum enim ex lege et divino decreto, hostia offerri deberet pro peccato nec remissio fieret sine sanguine, teste apostolo: idcirco Christus factus est hostia velut agnus Dei; idemque sacerdos pro peccatis nostris, velut Melchisedech, sine patre in terris, sine matre in cælis, in ara crucis semetipsum immolans igne holocausti, qui est charitas. Christi igitur vita fuit quædam missa. Nam ingressus saceristiam induit se sacris vestibus cum ingressus virginis uterum, habitu inventus est ut homo. *Introitum* dixit cum primam vocem similem omnibus emisit plorans, Sap. VII. *Kyrie eleison* dixerunt innocentes. *Gloria in excelsis* decantaverunt in ejus nativitate angeli. *Epistolam* dixit Joan. Baptista. *Evangelium* Christus cum in civitatibus annuntiavit regnum Dei. *Credo* populus. *Sanctus* et *Benedictus* decantatum est a pueris in die palmarum. *Consecratio* in cena facta est. *Elevatio* in cruce. *Memento* dixit latro poenitens. *Pater noster* Christus cum dixit: *Pater in manus tuas, etc. et: Pater dimitte illis, etc.* *Agnus Dei* dixerunt, qui revertebantur percutientes pectora sua. Denique *Ite missa est* (quod idem est ac *plebs dimissa est*) dixit Christus cum captivos omnes, qui in limbo, sive quibus alibi sub tyrannide dæmonis detinebantur, dimisit; quod fecit illo verbo: *Consummatum est*, q. d. ite: nunc omnis plebs dimissa est, sacrificium oblatum est pro omnibus captivis, et a Patre acceptatum adeoque consummatum.

VIII. Octavo, loquitur ad electos: *Consummatum est* ædificium arcæ cælestis, in quod recipiam vos, ut in diluvio judicii securi sitis, et tandem requiescatis super montes Armeniæ omnium altissimos, id est, super cælos. Centum annus laboravit Noe donec perficeret arcam: sed Christus in cruce paucis horis eam consummatum pro electis, ideoque dixit: *Consummatum est*, scilicet ædificium arcæ cælestis; solum superest ostium in latere faciendum, quod paulo post aperietur in corpore meo, et simul aperietur janua cæli, ut hodie adhuc latro meus mecum sit in paradiso.

IX. Nono, loquitur ad reprobos et quicumque adhuc extra sinum Christi versantur, infideles, hæreticos, peccatores: *Consummatum est* convivium quod vobis præparavi, ut in mensa eucharistiæ et gratiæ meæ mecum edatis et bibatis: *Ecce prandium meum paravi, tauri mei et altilia occisa sunt et omnia parata: Venite ad nuptias*, Matth. XXII. Hoc est, Christus ipse occisus est. figuræ legis impletæ: sacramenta parata peccatoribus, et quidquid alicui necessarium est ad salutem consequendam: vel occisa sunt peccata, id est, debilitata ut facile superari per poenitentiam et omnino occidi possint. Ecce fons patens vulnerum Christi omnibus apertus: nil restat nisi ut qui sitiit et veniat, et bibat applicando sibi passionem meam per sacramenti susceptionem. Itaque *consummata sunt omnia: Perditio tua Israel*, si aberres a salute; siquidem tota die expandi ad manus meas: *Quoties volui congregare pullos tuos, sicut gallina congregat pullos suos sub alas? Et noluisti.* Annon cernimus gallinam matrem nostram extendentem in cruce manus, ut congreget nos sub alas? Quare ne damnandi arguere possint Christum, quasi non satis ei providerit de mediis salutis, protestatur Christus: *Consummatum est*, scilicet convivium gratiæ meæ, missi sunt qui vocarent servi, rogarent et compellerent; parata quoque sunt omnia: solum restat ut vocati veniant. Quemadmodum ergo orator, qui postquam multis argumentis conatus est persuadere auditoribus suis, ad extremum, protestando quasi subdit: *Dixi*, id est, suasi quantum potui: culpa vestra, si non persuasi. Sic etiam Christus, postquam innumeris argumentis suasisset peccatoribus ut saluti suæ consulere, adjecit denique suum *Dixi*, cum ait: *Consummatum est*, quasi dicens id Sapientis: *Vocavi et renuistis, extendi manum meam et non fuit qui aspiceret. Desperavistis omne consilium meam et increpationes meas neglexistis. Ego quoque in interitu vestro ridebo*, Prov. I.

X. Decimo, loquitur ad omnes creaturas, quasi

ad arbitros ut judicent, utrum non fecerit quod debuerit, imo plus longe quam debuerit. Videtur enim dicere: *Consummatum est iter meum, quod suscepi conficiendum a summo cœlo egressus usque ad infimum contumeliosæ crucis: descendi ut quærerem ovem perditam: Exivi a Patre et veni in mundum: Iterum relinquo mundum: et quidem ec deveni, ut progredi ulterius non possim. Quid ultra debui facere vineæ meæ et non feci?* Narratur Hercules ille laborum et peregrinationum suarum metam designasse columnas illas, quæ vocantur columnæ Herculis ad Gaditanum mare, quibus inscripsisse dicitur: *Non plus ultra.* Hoc idem asserit de se Christus et multo æquiore jure. Eo enim humilitatis, eo amoris eo laborum progressus est, ut vere metam statuere crucem posset eique inscribere: *Non plus ultra.* Ex veteribus pictoribus cæteri adscribere suis picturis: Hic vel ille faciebat. Solus Protogenes eum affaberrime depinxisset amorem, adscripsit: *Protogenes fecit;* quasi solum hoc opus omnibus numeris perfectum esset. Multa Christus Dominus præclarissima opera fecit, quia una cum Patre fecit cœlum et terram et omnia quæ in eis sunt, sed nulli illorum adscripsit *Consummatum est,* imo potius dixit: *Quando præparabat cœlos, aderam; quando certa lege et gyro vallabat abyssos, cum eo eram cuncta componens.* Soli operi redemptionis tamquam omnium perfectissimo subscripsit: *Consummatum est.* Judicate itaque quotquot estis creaturæ, quid ultra facere debuerim vineæ meæ, quod non feci. Judicate, an imago hæc amoris, quam depinxi vobis in cruce, non sit omnibus numeris perfecta et consummata.

Nunc documenta aliqua videamus. Primum, certo tibi persuadeas ita implendam esse Scripturam in futuris, sicut impleta est in præteritis. Ex passione Domini scimus impleta esse omnia, quæcumque de illo scripta sunt in prophetis, ita ut nec apex vel unicus aceti potus fuerit omissus: certus igitur esto, omnino etiam futura esse, quæ in iisdem prædicuntur futura aliquando, quamvis adhuc impleta non sint. Quidquid enim propheta et sacri libri scripserunt, non a semetipsis, sed dictante Spiritu sancto scripserunt; unde si in præteritis nihil aberrarunt, non aberrabunt etiam in futuris. « Sicut usque ad hodiernam diem, (inquit S. Augustinus) omnia evenerunt; sic et quæ resant, eventura sunt: timeamus diem judicii, venturus est Dominus, qui venit humilis, veniet excelsus. » Et quidem nos majora habemus argumenta ad credendum ea, quæ in Scripturis ventura prædicuntur, quam veteris legis homi-

mines. Videmus enim jam plurima fuisse adimpleta, sicut prædicabatur, v. g. diluvium generale, quia illi nullum adhuc viderant, non facile credebant aliquo futurum; nos vero qui scimus impletum esse, quomodo non credemus futurum etiam aliqua, do diluvium (ut sic dicam) ignis in novissimis; siquidem id expressissime nobis prædixit Dominus, Matth. XXIV. *Sicut in diebus Noe, ita erit et adventus Filii hominis; sicut enim erant in diebus ante diluvium, comedentes et bibentes, nubentes et nuptui tradentes, etc. ita erit et adventus Filii hominis?* Si revera Judæorum exodium contigit, sicut a Christo eis prædictum est; quomodo non credemus, quod idem nobis prædixit, de omni verbo otioso reddendam esse rationem Deo? Matth. XII. Et si de otioso, quid fiet de pernicioso? Quid fiet de blasphemo? Et si hoc de verbis, quid fiet de factis? An forte impleri debuerunt, quæ scripta sunt de tormentis Filii, et non implebuntur quæ scripta sunt de condemnatione servi? Itaque nos sumus inexcusabiles respectu eorum, qui præcesserunt Christum. Neque existimemus, satis esse si credamus esse ventura, quæ ventura prædicuntur: nisi eadem fugiamus, si mala sunt; faciamus, si bona. Quid enim prodest credere architecto ruituram domum, nisi in te proripias? Credere medico, non bibendum tibi vinum, si interim non abstineas.

Secundo, certum est omnia sublunaria habere suum consummatum est, et quidem brevi. Confiteor quidem Christus iter laboriosum per annos triginta tres in contemptu et paupertate, in laboribus, in insidiis, injuriis et doloribus, in plagis et vulneribus, in siti et nuditate: passus est omnia, passus est ab omnibus, in membris et bonis omnibus. Et aliquando tamen pervenit ad suum consummatum est. Imo tempus Judæorum et dæmonum, quo ipsum persecuti sunt, non vocavit Dominus nisi horam. Itaque Judæi ad horam exultaverunt persequendo Christum; Judas avaritiæ mancipium ad horam exultavit in exiguo luero; Pilatus placere volens Cæsari, Herodi et Judæis, ad horam exultavit in vanissimo favore. Et jam ad annos fere millenos et sexies centenos cruciatur in inferno. Annon clamabunt modo: *Quid profuit nobis superbia, aut divitiarum jactantia quid contulit nobis? Transierunt omnia velut, etc.* Certus itaque esto idem eventurum omnibus mundi amatoribus. Audi Ecclesiasticum, cap. XIV. *Testamentum hujus mundi inquit, morte morietur.* Lege quintum caput Genesis, et idem clare cernes. *Factum est omne tempus quod vixit Adam, anni nongenti triginta, et mortuus est. Facti sunt omnes dies Seth nongenti-*

rum duodecim annorum, et mortuus est. Facti sunt omnes dies Enos nongenti quinque anni, et mortuus est, etc. Et quid sunt nostri dies, respectu tot annorum? Unde recte David, Psalm. CXVIII. *Omnis consummationis vidi finem,* id est, rei quantumcumque perfectæ. Nemo itaque dubitet tollere crucem Christi et sequi illum; quia *omnis consummationis vidi finem.* Vicissim etiam nemo invidet iis, qui felices esse videntur in hoc sæculo; quia *omnis consummationis vidi finem.* Hodie florent, cras arescent. *Vidi impium exaltatum et elevatum sicut cedros Libani,* inquit David, *transivi et ecce non erat.*

Tertio, sedulo labora, ut omni bono operi tuo ultimam imponas manum, ut possis dicere: *Consummatum est;* quemadmodum Christus opus redemptionis non tantum inchoavit, sed et consummavit. Nimirum Dei perfecta sunt opera, (Deut. XXXII.) qui et in opere creationis non quievit, donec perfecti sunt cœli et terra et omnis ornatu eorum. Quid juvat domum extruere, si tectum non imponas? Recte ait Gerson cancell. Parisien. *Deus non quærit nomina, sed adverbia,* id est, *non attendit quid facias, sed quomodo facias,* ut ait S. Bern. Similiter diabolus non timet orare, dare elemosynam, jejunare, confiteri, communicare, etc. sed bene orare, bene confiteri, etc. Perfice igitur opera tua, ut ne in purgatorio primum perfici et perpoliri debeant. Si enim imperfecta fuerint, ignem illum non effugient: si videlicet non cum debita intentione, attentione, suo loco, tempore ab homine Deo grata fuerint facta. O quam multa quæ humano judicio videbantur aurum, argentum et lapides pretiosi supra fundamentum fidei ædificata, inveniuntur in severo illo examine, ligna, fœnum, stipulæ, quæ mox consumet ignis.

Quarto, cura ut perseveres in bono exercitio, donec consummes cursum tuum, nec persuadearis, ut descendas de cruce; quia neque Christus descendere voluit, licet a militibus provocaretur; et facile potuisset. Eam provocationem prodisse a dæmone ait S. Bernardus, quasi is præagens malum suum, facti pœnituerit. Dicebant Judæi: *Si rex Israel est, descendat de cruce,* Matth. XXVI. Sed rectius respondet Bernardus: « Imo quia rex Israel est, titulum regni non deserat. » Et paulo post: « Non tibi dabit occasionem surripiendæ nobis perseverantiæ, quæ sola coronatur. » Non frustra gerebat Aaron malograna in fimbria vestimenti talaris, ut habetur Exod. XXXIX. significabat enim coronam (quæ per malograna designatur, quia coronam gerunt) non deberi nisi fini et perseverantiæ; Hebraici alphabeti ultima littera est Tau, hæc vero

salutis et liberationis signum est, Ezech. VII. *Omnem super quem videritis Tau, ne occidatis.* Vis igitur salvus esse in die illa et immunis ab angelo percutiente? Inscribe vitæ tuæ finalem litteram perseverantiæ. Ac licet provocaris ut de cruce et instituto pio descendas, cave audias tales voces. Attende ad coronam, quæ perseverantiam expectat: non ad ipsam crucem ejusque præsentem amaritudinem: ne alioquin audias aliquando tibi illudi et dici: *Hic homo cepit ædificare, et non potuit consummare.*

Tene itaque quod habes ut nemo accipiat coronam tuam, Apoc. II. quemadmodum contigit uni ex quadraginta martyribus sub Licinio in gelidum stagnum missis, cujus solius corona desiderata est, cum triginta novem de cœlo in reliquos demitterentur; quia frigoris impatiens in proximum tepefactum balneum insiluit, fide et Deo deserto, ut in brevior. Non ita desipiamus nos, sed attendat unusquisque ut in bono perseveret, donec in articulo mortis lætus canere queat: Consummatum est institutum religionis meæ, iter pietatis et virtutis meæ, etc.

§ XXXIX. — DE SEPTIMO VERBO.

- I. Cur clamans expirat. — II. Cur in manus Patris commendat spiritum: Hinc discet: 1. Cum Deo serio agendum. 2. Scriptura magni faciendæ et applicandæ ut regula. 3. Quisque suam salutem sibi met procurat. 4. De spiritu, non de corpore sollicitum esse oportet. 5. In periculis commendat se quisque Deo.

THEMA.

Pater in manus tuas commendo spiritum meum.
Luc. XXIII.

Multum quidem supra modum obligamur Deo, propter opus creationis, qua nos de nihilo ad imaginem et similitudinem suam fecit; sed multo amplius propter opus redemptionis, quoniam ista longe pluris ei constitit; etenim in creatione: *Dixit Deus et facta sunt;* in redemptione vero, quæ in cruce peracta fuit, non verba tantum, sed clamorem præterea validum et lacrymas adhibuit, ut testatur apost. ad Heb. III. ibi mandavit, hic oravit. In creatione post sextum diem quo consummata erant opera Dei, septimo requievit Deus, cessando a creatione; sed in redemptione post sextum verbum, quo opus redemptionis consummatum fuit, septimo requievit Deus, per mortem et in sepulcro. Unde S. Bernar. in tr. de diligendo Deo, ait: « Quod si totum me debeo pro me facto, quid addam jam pro refecto hoc modo? Nec enim